



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 7. Bos emptus se ipsum sistit emptori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

fore, extinguere est conatus. Sed fortitetur
 eum repellenti, mox ad fores adfuit ignoti
 vultus homo, qui aureos illi in manus dedit
 refulgentes, vnà iubens hoc epulum, hoc
 anno, nequaquam omittere. Cum dicto se
 è conspectu subduxit. Secuti dein alij atque
 alij, qui omnia necessaria affatim fuggere-
 bant. Solus bos deerat, & instabat iam dies.
 Ergo frater, qui eum adjuuabat, identidem
 instans dicere non cessauit: *Itaq, hoc epulum,*
Francisce, bouem non videbit? Respondit
 semper Franciscus: *Bouem habebimus. Scit*
Puer IESVS, eo nobis opus esse. Ne dubites,
missurus est bouem. Quin eo ipso die, quo
 singulorum portio præparabatur, adfuit
 frater, qui diceret: *Hoc anno bouem pauperes*
non comedent. Immò, ne despera, ait Franci-
 scus. Cum alter non cessaret vrgeri, diffi-
 dentiam eius reprehendens, à se repulit, &
 mox adfuit, qui vltro bouem, non alio pre-
 cio, quàm, vt pro se oraret, obtulit.

§. VII:

Bos emptus se ipsum sistit emptori.
Vice altera, ait ibidem author, *Madrito re-*
uertens, ad Complutenses suos, paucis ante na-
talem Dominicum diebus, pro instruenda ordi-
naria mensa pauperum, ad Turregum, quod
 Complu-

Compluto tribus dimidiatis milliaribus distat : animaduertit illic arantem rusticum in gemino boue; quorum alter, quia obesus valde atque abunde bonus ipsi videbatur, optimum putauit, si ex eo conuiuium istius anni instrueret. Conuenit ergo ea de re agricolam; agit de pretio, bonem emit; & numeratâ pro eo pecuniâ, non alia obligatione adstringens eum rusticum, quam quod quatuor diebus ante festum Domine Natiuitatis veniret Complutum, atque emptam illam, ac iam persolutam bestiam adduceret, latibundus abit. Atque ita, nulla alia conditione superaddita, omnis timoris expers, nihil vel de ipso subalci nomine sollicitus, iter suum prosequitur. Stabat interim secum cachinnans paganus (sicuti postea narrauit) & de homine tam sincere ac simplicis farina, qui sine alia precautione, emptum bonem ac pretium eius, in nunquam visi, nunquam auditi hominis manibus reliquisset, sibi ipsi risum faciebat, nihil minus, quam de tradendo pecore cogitans. Instabant Natalitia, & qui à conuiuio erat, Franciscum nostrum, ut de boue emendo ageret, commonebat: ipse autem iam emptum eum esse dicebat. Ventum erat, ut iam singulis præsunderentur portiones sue, & vestigium bouis necdum apparebat, & Franciscus venturum eum assenerat.

bat. Pridie igitur natiuitatis, presentibus in hospitali fratre nostro, & altero Francisco de Cuenas familiari suo, cum pluribus alijs, bos ingens, & omni ex parte bonus ad mensam, tanquam in propriam penetrat, sine ductore, domum. Vidit, & subito, ipsissimus ille est, inquit, noster Franciscus, emi illum, & pretium solui, ligate, mactate, diuidite. Venit autem & infidelis ille rusticus, multo post tempore, anhelus totus, & multa super profugo suo bone queritans. Ad primum autem F. Francisci colloquium compunctus usq; ad cor, abiecit se coram in genua, sinistra sue intentionis accusator factus; & ut delictum sibi remitteretur, supplex precator institit; confessusq; est ijs, qui tum aderant, quomodo, cum primo diluculo istius diei egressus est ad opus suum, bos iste, qui alioquin mansuetissimus erat, Complutum versus sese arripisset. Quem toto nisu insequutus nullatenus assequi potuisset, ad quem Fr. Franciscus conuertens sese pacifice, & super caput humiliantis se, & reatum suum publicantis manum imponens. Quid, amice, hoccine igitur tibi in animo erat? festina igitur ad templum, & ostende te paruulo IESV, ut istam tuam iniquitatem propitius tibi, ut petis, remittat, inquit autem & ipse pro gratia illa, & pro tam insigni prouidentia sua symbolo gratiam

gratiam Deo relaturus. Vnde factum est, ut quotquot ibi reperti sunt, noua admiratione ac stupore corripentur.

§. VIII.

Bos datus pauperibus, illico compensatur.

Addam hîc domesticum ac simile de boue, longèq; luculentius exemplum. P. Andreas Ouyedus, qui anno 1579. sanctissimè vitam finiit in Salembri, à Iulio III. Pontifice in Patriarcham successus, ab vniuersa gente Goana verè sanctus & vir Apostolicus habitus, præter ardentissimum zelum animarum, erga pauperes præcipua fuit charitate. Aliquando ita omnia in illos profuderat, ut nihil omnium, quod daret, superesset, præter vnicum adeò bouem, qui ei erat, ad sacra ornamenta deportanda, pernecessarius, si quando ex vno loco ad alium erat proficiscendum. Quia tamen viscera eius patî non poterant, ut miseros egentes oculis aspiceret, eum ipsum clitellarium bouem mactari iussit, atque in pauperum escam distribui. Adfuit tum illi, qui hæc ipsa postea de eo est testatus, monuitque: ne iumentum adeò necessarium occidi sineret. Huic Ouyedus respondit: *Sine, fili, eum, cedi atq; distribui: quippe cras manè Deus alium bonem*

S 3 prou-